



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De multitudine & populo ciuitatis. cap. xlii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

A De multitudine & populo ciuitatis. CAP. XLII.



NON sequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio *Exod. 23.* plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero declines. Non obtemperabis genti flagitiosa.

NON pecces in multitudinem ciuitatis: nec te immittas in *Ecl. 7.* populum. A tribus timuit cor meum, & in quarto facies *26.* mea metuit, Delaturam ciuitatis, & collectionem populi, & calumniam mendacem, super mortem omnia grauia.

B Solet vulgus, etiamsi iracundiæ suæ impetum in præsens cohibeat, non secus atque ignis incetti, in materia delitescens, aut profluens, per vim retentus atque compressus, arrepta occasione succendi atque impetu ferri.

De obseruatione & auspiciis: & quod nos tempora aut homines obseruare minimè oporteat. CAP. XLIII.



QUI obseruat ventum, non feminabit: & qui considerat nubes, nunquam metet. *Ecl. 12.*

Dies obseruatis, & menses, & tēpora, & annos. Timeo, ne fortè sine causa laborauerim in vobis. *Gal. 4.*

Ne quis vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut in Neomenia, aut sabbato, quæ sunt vmbra futurorum. *col. 2.*

D Quosdam noui, qui cum in Christianorum numero sint, tamen Iudæorum ritu se gerunt, dicentes, Hodie sabbatum est, non licet mihi cuiquam benignè facere. Adest Nouilunium: & eodem modo. Auium garritus & vaticinia obseruant. Cauent panem cuiquam impertire. Ac rursum: Hodie Pascha est, cras dies Christi natalis, perendie sementis initium: è domo mea nihil efferre possum. Hæc omnia Iudaismum redolent. Si quis hæc facit, debet & panes fermenti expertes edere, & circumcidi; & cum Iudæis viuere. Et quid de sabbatis & nouilunijs, & Iudaicis rebus loquor? Complures noui, qui, cum baptisimi aqua tincti sint, ea tamen, quæ hereticorum sunt, peragant. Siquidem post Solis occubitum ignem vicino dare cauent. O miseros qui hæc faciunt! Quicumque neglectis Dei præceptis hæc obseruant, sub gratia non sunt, vt qui Euangelium minimè susceperint: Verum Iudæos & hereticos imitati, eandem cum ipsis hereditatis partem consecuti sunt. Christianum enim nihil horum obseruare oportet, non dies, non anni partes, non homines, non auguria. Multi enim uerò, èum bono operi incumbunt, ac superueniens Satanas id labefactat ac dissipat, culpam in eum non conferunt, sed dicunt, Certus homo ad me accessit, atque opus meum fascinavit, causam videlicet homini assignantes. Atqui diabolus iam inde à iactis mundi fundamentis hominibus inuidet, infestumque cum ipsis bellum gerit. Si in homine probum aliquod opus conspexerit, inuidia æstuat, atque illud abolere contendit. Et quia oculis nullo modo cerni potest, per occasionem ac pretextum hominem oppugnat: vt cum ipse malum fecerit, illud ijs ascribat, qui culpa carent. Cum igitur egregium aliquod opus, ac multorum sermone atque laude celebratum, fieri perspicit, accedit, illudque perfringit. Nec diabolum, cuius opera malum conflatum est, accusat: Verum, ipsius licet instinctu inchoatum opus abruperit, homines diris deuouet, ac maledictis insectatur. Eodem modo cum quispiam peregrè profectus est, atque insectis rebus domum se recepit, statim dicit, Quidam abeunti mihi obuiam factus est: atque ob hanc causam, id quod mihi proposueram, non sum consecutus. Nec diabolum, qui id effecit, sed insontem hominem, tanquam fascinatorem, accusat. Ac vide queso improbi fugitiui versutiam. Quem hominem quispiam obseruaturus est, hic vt illi occurrat, efficit. *Euseb. 7.*